

Joachim Eberhard

**De Spiritu Sancto, Optimo Optimorum Munerum datore, quid sit, cur & quomodo detur: quomodo datus cognoscatur & conservetur, M. Ioachimi Eberhardi Ribnizensis Oratio Rostochii in florentissima Rosarum Academia, & corona doctorum virorum splendidissima, Magnifici Rectoris consensu publice recitata... debitæ gratitudinis ergo consecrata, Anno 1601 primo Calend. Iunii**

Rostochii: Myliander, 1601

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771906862>

Druck Freier  Zugang





R. h. - Theol 1601 Eberard, Joachim

DE SPIRITU  
SANCTO, OPTIMO  
OPTIMORVM MVNERVM  
datore, quid sit, cur & quo-  
modo detur: quomodo datus  
cognoscatur & conser-  
vetur,

M. IOACHIMI EBERHARDI  
RIBNIZENSIS

ORATIO

Rostochij in florentissima Rosarum Academia, &  
corona doctorum virorum splendidissima, Ma-  
gnifici Rectoris consensu publicè recitata,  
& SPIRITVI SANCTO Ρερανήτῳ Do-  
mino nostro, debitæ gratitudinis  
ergo consecrata, Anno 1601  
primo Calend. Iunij.

ROSTOCHII,  
Typis Myliandrinis, Anno M. D. CI.



# Oratiuncula DE SPIRITU SANCTO.

Vemadmodum hesterno die Magnifice Domine Prore-  
ctor, & reliqui vos Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimi, ac  
Humaniſſimi viri, vosq; Studioſiſſimi juvenes & adole-  
ſcentes Optimi, quemadmodum, inquam, hesterno die pu-  
blica concionatoris voce, salutarem de Spiritu S. doctri-  
nam, ejusq; admirandam bonitatem, incredibilem po-  
tentiam & operationem in cordibus piorum, ſplendiſſimè celebrandam,  
& grata omnium beneficiorum memoria fidelifimè retinendam audiuitis;  
Ita quoq; hodierno & crastino die, quando commemoratione immenſe am-  
plitudinis & varietatis diuinorum erga nos beneficiorum in Ecclesiis no-  
ſtris continuabitur, sanctos illos verbi diuini praecones eadem docentes, ea-  
dem adhortantes audituri eſtis. Bonum enim eſt, inquit angelus Domi-  
ni Tobie 12, praedicare Deum, ejusq; nomen exrollere, opera Dei honori-  
ficiis verbis commemorare. Iterum, Arcana Regis celare, bonum eſt:  
opera vero Dei declarare praelarum. Hac admonitione hac doctrina tam  
angeli, quam docentium in Ecclesia motus ego ad dicendum accedo. Exal-  
tabo igitur in Domino, & cum Regio Prophetæ Davide ex Psalmo suo  
34. Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.  
In Domino latabitur anima mea, audient humiles & latabuntur. Cantabo  
inquam Dominum, & gratiam omnium operum & beneficiorum Spiritus  
Sancti memoriam conſervabo. Ut autem horum operum & beneficio-  
rum particeps fiamus, nihil non faciendum eſt nobis, ne errantem ha-  
beamus: sed certam ſtabilemq; de opifice, duce & rectore adiunctionum noſtra-  
rum, de Spiritu Sancto ſententiam, eumq; ad faciendam mansionem apud  
nos legitimis medijs ad nos invitemus. Vbi enim opifex ipſe abeſt, ibi  
operatio quoq; ipſius non ſubsequitur. Quemadmodum aliquis adedificaturus, cum opificis conduxit operam, opifex autem fidem frangens ad  
edificandum non accedit, ades nunquam edificantur: Ita quoq; abſente  
Spiritu Sancto, ejus opera & beneficia à nobis abſunt. Inter reliqua me-  
dia, quibus invitatur Spiritus S. non eſt poſtremū: Militare bonam mi-

litiam, retinere fidem & bonam conscientiam, cum sit veluti Regula & norma, ad quam tota Christianorum vita quasi dimerienda sit. Militabimus autem ita militiam bonam, retinentes fidem & bonam conscientiam: Cum Anima nobis data sit & Corpus nobisque cum Hominibus, & laboribus Vocationis nostrae vivendum, quando unicuique dederimus, quod suum est. Corpori mortificationem carnis: Animæ fidem & verbum Dei: Proximo fructus fidei, dilectionis & misericordiae opera: Vocationi fidelitatem & diligentiam. De his & similibus salutaris de Spiritu Sancto doctrina, quæ jam publicè in Ecclesijs docetur, agit. Illa quoque huius meæ Oratione, licet rudis & incomptæ, attamen qualiscunq; gratitudinis erga Deum, & exercendæ pietatis ergo conscriptæ, argumentum erit. Quapropter auditores longè Charissimi, Clariissimi, Doctissimi omnes vos singulos & universos pro vestro in me favore & benevolentia: pro vestro etiam amore & favore erga Deum & verbum ejus, rogatos volo, ut illam alacritatem, quam accedendo declarasti, mihi, de re summo perennem necessaria, & utili dicenti animis præbeat, atque ita, ut corporibus: ita animis quoque adjicias.

Cum itaque tanta sint, tamque insignia SPIRitus Sancti opera, quæ Sancto Dei populo cumulatissime exhibentur, ut nullius tantum sit flumen ingenij, nulla dicendi & scribendi tanta vis, tantaque copia, que, non dicam exornare, sed enarrare illa posse, nihil salutarius est homini Christiano, quam descendam sibi, atque ex saluberrimis verbi divini fontibus hauriendum proponere, utilissimam de Spiritu Sancto doctrinam, quid sit, cur & quomodo detur: quomodo similiter datus cognoscatur & conservetur. De his igitur in præsencia breviter sum dicturus.

Soleo saepè ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus: Omnes omnium, superioris & nostri quoque temporis hominum; omnes apostolorum, prophetarum, omnes inquam, creaturarum in celo & terra existentium proprias actiones & opera cum SPIRitus Sancti operibus nec præstantiae & dignitatis magnitudine, nec numero operum, nec varietate, nec opportunitate efficiendi posse conferri. Nec vero optima & praestantissima cuiusvis opera, unquam extitisse tam salutaria quam vel minima SPIRitus S. non dicam hoc vel illo, sed omni & quovis tempore fuerunt.

Hic

Hic septiformis munere : SPIRitus hic Sapientiae & Intellectus ; consilij & fortitudinis ; scientiae & pietatis ; hic timor & Domini SPIRITVS. Hic gaudia mœstis affert , requiem fessis , pacem ac tranquillitatem afflictis ; hic mentes pulsat caligine lustrat , terrores animi arcit , pectora formidins solvit : hic vivo numine omnia viva facit. Per hunc odia , lites ac fera bella quiescunt , pax optima rerum sancto nitet vultu. Per hunc Ministerium verbi viget , Respubl. floret , Oeconomia feliciter agit. Per hunc omnes omnium actiones inicio , medio , & fine secundantur , reguntur , & salutares sunt. Hac quidem omnia , & infinita , quæ peragit , alia , tam sunt magna , ut ea cujusquam mens aut cogitatio capere non posse. Perspèctivè igitur cogitant . & memoria hac omnia representanti mihi in mentem venire solet , summa dignam esse admiratione multorum securitatem & negligentiam , qui manibus pedibusq; obnoxie omnia non faciunt , ut noverint quis ille sit tantus tantorum operum effector & autor , cur & quomodo detur : quomodo datus cognoscatur & conservetur.

In primis autem ignorandū non est , quod SPIritus ille Sanctus tertia sit divinitatis persona , ab aeterno procedens à patre & filio , & mittatur in corda credentium , ut lucem rectè agnoscantem Deum , in eis accendat , & veros motus , amorem , vitam & læticiam , acquiescentem in Deo , & omnium virium conformitatem cum ipso Deo instauraret. Hunc summus ille rerū opifex pater aeternus , merito filij sui coacterni impulsus in nomine ejus caelitus demisit ut conjunctim Ministerio Ecclesiastico : & seorsim unicuiq; adesse. Ministerio autem Ecclesiastico aderat , ut arguat mundum de peccato , de Iusticia , & de Iudicio. De peccato quidem quia non credunt in Christum. De Iusticia vero , quia Christus ad patrem abiit , & amplius non vident eum. De Iudicio autem , quia princeps hujus mundi condemnatus est. Seorsim unicuiq; aderat , ut sanctificaret , regenerando , iustificando & renovando. Regenerat SPIritus Sanctus quando per verbum & baptismum ex filio iræ & mortis generat filium Dei , & heredem vita aeterna. Iustificat , quando remittit peccata , absolvit ab aeterna morte , & reconciliat cum Deo , qua reconciliatione peccator iustus est & acceptus Deo , & vita aeterna heres propter Christum. Tan-

dem renovat, quando eeu inhabitator iustificati carnem, sive veterem & exteriorem hominem peccatum; in Mente tenebras & dubitaciones de Deo: in Voluntate omnes prayas inclinationes: in Corde incendia vitiosorum affectuum expurgare & abolere incipit; & contra spiritum sive novum & interiorem hominem, creatum ad Dei imaginem, per peccatum amissam restituere & renovat. In ejusmodi homine, per regenerationem, iustificationem & renovationem ita sanctificato SP IRITVS SANTUS SP Iritus est consolationis & paracletus: SPiritus prectionis: gratiae: promissionis: intercessionis: & SPIRITVS veritatis. SP IRITUS consolationis & paracletus est, quando instar advocati officium exequendo in foro Soli mundo adversante: In foro Poli diabolo & lege deferente: in foro Conscientiae occulto quatiente animum tortore consolatur, erigit & sustentat. Tali insignitus est titulo, Iohann. 15. Cum venerie paracletus, quem ego mittam vobis à patre SP Iritus ille veritatis, qui à patre procedit, ille restabitur de me. Talem re & facto se exhibuit Danieli medios inter leones: tribus illis viris in camino ardenti: Iobo Sanctissimo Dei homini, in summis illis calamitatibus & miserijs suis. Talem se Imperatori Mauricio praesertim, filiis in conspectu & ante faciem trucidatis, in hac verba erumpente: Iustus es Domine & justum judicium tuum. SP Iritus prectionis est, quando prectionem hominis in spiritu & veritate, serio motu cordis & vera fide ad Deum patrem dirigit, & ita informat, ut exaudiatur. Tali insignitus est nomine Zachariae 12. Effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem SP Iritum gratiae ac precum. Talem re & facto se exhibuit Salomonis, quam precatus erat, templi à se extructi, sanctificationem impetrantis. Talem Eliæ, incensionem sacrificij: Talem Petro ab Herode in carcerem conjecto, & sua & populi prectione liberationem obtinenti se exhibuit. Hanc precum efficaciam notabilis quadam historia comprobat de nobili quodam, belli duce, sapè feliciter contra hostes pugnante: Ille quoties pugnam committere, & impetum facere in hostem cupiebat, equo descendit, & ex imo pectore ac vera fiducia prectionem Dominicam recitavit. Deinde equum ascendit, & sublata voce clamat, ut maxima pars equitum & peditum audiret; Ego dixi ei. Quibus verbis significare solebat, se Deo in prectione belli exitum mandasse. His peractis statim imperium

10001 10001 10001 10001

imperium in hostes fecit, multitudinem dissipavit, & victor in castra rediit.  
Nam omnium hominum vis ac fortitudo sine auxilio Dei vana est &  
inutilis. Dicendum ergo nobis est cum regio Prophetae Davide ex 60.  
Psalmo. In DEO faciemus virtutem, ipse conculeabit hostes nostros.  
Præterea SPiritus est gratia, quando gratiam, favorem & benevo-  
lentiam Dei, qua ille Christum complectitur, & in Christo & propter  
Christum omnibus Sanctis conciliat, & iterum in sanctis mutuum amo-  
rem & dilectionem erga Deum accendit. Tali insignitus est titulo  
dicto jam cap. 12. Zach. Talem re & facto se exhibuit Davidi, qui  
ab omnibus hostibus & rebus adversis liberatus, & ad fastigium regni  
Islaëlitici erectus in cœtu solenni publicas DEO gracias agit, & tanto  
animi ardore DEI bonitatem, tories jam sibi perspectam laudat, ut vix  
ac ne vix quidem verba reperiat, laudi & celebrationi divina sufficientia.  
Buchananus celebrationem hanc Psalm. 118. Carmine ita expressit.

Eja Deum laudate, Deum facilemque, bonumque,

Larga benignum semper indulgentia.

Eja Dei, Soboiles Iacobi, dicite laudes,

Larga benigni semper indulgentia.

Eja Deum canat Aronis numerosa propago,

Larga benignum semper indulgentia.

Eja Dei pura cultor pietate, fatere

Larga benignum semper indulgentia.

Improbe quid frustra labefactum everttere tentas?

Dei potentis sustinet me dextera.

Ille meæ vires: illum mea carmina pangent

Vnum: salutis unus auctor est meæ.

Cunctaque, instorum pariter tentoria plaudent:

Meæ salutis pariter auctorem Deum

Lauda-

Laudabunt: cantuq; ferent ad sidera dextram,

Belli potentem, divitem victoria.

Dextram armis, dextram prstantem robore, dextram

Belli potentem, divitem victoria.

Seva quid insultas mihi mors? tuatela reconde:

Frustrè minaci territas me spiculo.

Vivo euidem, vivusq; feram super aethera cantu

Raram benigni numinis clementiam.

Pandite pontifices sacri mihi limina templi,

Salute parta ut laude prosequar Deum.

Te merito, pater alme, canam. tu rebus in arctis

Aurem applicasti supplici placabilem.

O lux festa, o lux incunda ad gaudia nata;

Calestis in nos lux favoris conscientia;

Vsq; fave, custosq; tui pater optime, regis

Sis, secundos copta duc ad exitus.

Lætitia celebrate diem fœtusq; bidentis

Tenellus are vinclus adstet cornibus.

Te dominum, te mente colam, te voce fatebor:

Tuumq; semper laude nomen prosequar.

Eja Deum laudate, Deum facilemq; bonumq;,

Larga benignum semper indulgentia.

Porro SPIRITVS ille SANCTVS SPIritus promissionis  
vsc, quando ut arrhabo & pignus de promissionibus divinis hominem cer-  
tiorem reddit, easq; veluti sigillo obsignat. Tali nomine insignitus  
est Eph. i. In Christum speratis & vos auditio sermone veritatis Eu-  
ange-

... 1000 Eberard, Joachim

angelio salutis vestrae : in quem etiam posteaquam credidisti, obsignata  
estis SPIRITU illo promissionis SANCTO, qui est arrhabo hereditatis  
nostra. Talem re & facto se exhibuit Paulo, qui de amore & favore  
Dei à SPIRITU SANCTO ita factus est certior, ut dicere non veritus  
sit Roman. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Num oppresio?  
num angustia? num persecutio? num fames, num nuditas? num pericu-  
lum, num gladius? sicut scriptum est, causa tua occidimur totum diem,  
habui sumus velut oves, destinatae mortationi: Imò in his omnibus plus-  
quam victores sumus per eum, qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est,  
quia neq; mors, neq; vita, neq; angelii, neq; principatus, neq; potestas, neq;  
instantia, neq; futura, neq; sublimitas, neq; profunditas, neq; ulla alia res  
creata poterit nos separare à charitate Dei, qua est in Christo Iesu Do-  
mino nostro. SPIRitus Intercessionis est, quando sublevat infirmitates  
hominum, ijs, quid orient, ignorantibus, & postulat ipse pro eis suspirijs in-  
enarrabilibus. Tali insignitus est nomine Rom. 8. unde jam dicta buc  
translata sunt. Talem re & facto se exhibuit Iosepho, à fratribus pere-  
grinis vendito, qui quidem etos 13 annos precibus assiduis opem implora-  
bat divinam, nec tamen voti compos siebat: Sed quo ardenter orabat, eo  
minus consequbatur, propterea quod ignoraret, quid petere, quemq; in fi-  
nem moram patetur. Verum SPIRitus DEI SANCTUS sublevando  
infirmitatem ejus postulabat pro eo, ut tempore oportuno primum exaudi-  
re. Deus enim si citius preces Iosephi exaudivisset, pater quidem illius  
Jacob galvisus esset, Ille vero pastoris officio fungz, ut functus erat, coactus  
esset; interveniente autem mora & tempore oportuno apparente, gubernatio-  
ni totius Aegypti præferebatur, & plurimum plurimis inserviebat.  
Deniq; SPIRitus Veritatis est, quando hominem in omnem introducit  
veritatem. Tali insignitus est nomine Job. 15. cum venerit paracletus,  
quem ego mittam vobis à patre. SPIRitus ille veritatis, ille testabatur de-  
me. Talem re & facto se exhibuit apostolis & discipulis Christi ipso die  
Pentecostes, varijs linguis magna Domini efferentibus. Talem se  
Prophetis, Patriarchis, ipsi Luthero, & alijs exhibuit, & adhuc exhibet  
fidelibus verbi divini ministris.

Hucusq; audi vijñis auditores ornatiissimi, quid sit, cur detur, & quid  
in datis

in datis efficiat & operetur SPIRitus S. Iam audieris, quomodo &  
quibus medijs. Datur SPIRitus S. dupli modo: Visibili & invisibili.  
Visibili ejusmodi hominibus, quibus peculiaria edenda sunt miracula, &  
ideo illi pro reliquis majoribus SPIRitus SANcti donis ad illustran-  
dam Dei gloriam doctrinamq; ejus confirmandam augendi. Quemadmo-  
dum etiam hac de causa SPIritus S. in forma linguarum ardentium die  
Pentecostes illis, de quibus dictum est, apostolis, datus est, quod antea  
nunquam ita factum meminerant, & futuro quoq; tempore ita fieri necesse  
non est, uti satis superq; in apostolis istis probatum. Invisibili vero modo  
iterum dupliciter datur: Cum ceremonijs, & distinctis quibusdam personis,  
in hunc finem ut salutarem de Deo doctrinam doceant, proficeantur, pro-  
pagant & regnum Christi adaugeant. Ejusmodi fuerunt apostoli & disci-  
puli Christi, quibus Christus spiritum suum ita est largiens, quemadmo-  
dum ex Iohann. cap. 2. apparet, ubi inquit: Sicut misi me pater: ita ego  
mitto vos &c. Ita etiam omnibus Ecclesie Dei ministris, jam ad Mi-  
nisterium docendi publicum ordinandis, per impositionem manuum donum  
illud SPIritus SANcti omnibus votis a Deo efflagitatur. Deinde sine  
Ceremonijs omnibus & singulis sine discrimine hoc donum communicatur, in  
hunc finem ut sanctificantur, & indies magis magisq; imaginis Dei similio-  
res reddantur. Hac ratione omnes Christiani nominis participes sunt  
SPIritus S. cōpetentib. medijs, verbo Dei: precatione ardenti & assidua:  
vera pœnitentia, & crebro Sacramentorum usu. De medio verbi Act.  
10. illustre extat exemplum: Petro adhuc loquente verba haec, illapsus est  
SPIRitus S. super omnes, audientes sermonem ejus. De pœnitentia &  
usu sacramentorum Act. 2. Resipiscere, & baptizetur unus quisq; vestrum  
in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum  
SPIRitus SANcti. De precatione Lucæ II. Si vos qui mali estis, nostis  
bona dare liberis vestris: quanto magis pater vester cœlestis dabit SPIritum  
SANctum ijs, qui ab eo petierint.

Et haec dicta sufficiente modo & medijs quibus datur SPIritus S.  
Restat nunc ut dicamus quoq; quomodo datus cognoscatur & conseretur.  
Postquam igitur sine beneficio SPIritus S. nulla nobis est rerum divina-  
rum cura, nullum desiderium, ut recte Ecclesia canat: Sine tuo numine  
nihil

10071 Bernard, Joachim

nihil est in homine, nihil est innoxium, verissima nota & signum est  
nobis dati & accepti SP Irieus SANcti, quando opera ejus in nobis repre-  
riuntur, fides, spes, charitas, pax, gaudium, Gal. 5. quandoquidem ope-  
ratio absq[ue] operante non subsistit. Quando similiter corda nostra ita accen-  
duntur, ut legem & voluntatem Dei ulterò & ex corde faciamus. Volun-  
tas Dei lex est, sed mortua. Descripta enim est in saxe. Viva Dei  
voluntas SP Irieus S. est. Proinde, quorum corda SP Iritum S. con-  
ceperunt, ij, quod lex praecepit, jam etiam si non cogat lex, faciunt. SPI-  
ritus S. mortificat reliquias peccati in carne, & renovat corda eorum, ita  
ut norint, metuant, ament Deum, ament & proximum. Et quia volun-  
tas eorum SP Iritis S. voluntas est, non possunt non velle, quod vult  
SP Iritis S. Nam unus SP Iritis cum Deo sunt. Et quemadmodum  
e natura SP Iritis S. trahit, ut occidere, scortari, furari, mentiri non  
possit: Ita quoq[ue] nec ij, qui unus cum eo Spiritus sunt, possunt. Huc ac-  
cedit, ut fieri nequeat, qui à patre suo cœlesti SPIRITU S. donatus est,  
qui in omnibus Deo patri cupidiissime serviat, ut pio patri pius filius solet.  
Nam ubi adjutus SPIRITUS S. per fidem gustavit misericordiam Dei,  
ejusq[ue] bonitatem cognovit per verbum Euangeli, condonantis peccata,  
promittentis gratiam, non potest animus non redamare Deum, ac gestire,  
& velut gratitudinem suam mutua aliquo officio pro tanta misericordia  
testari, & clamare: ABBA CHARISSIME DULCISSIME  
PATER. Qui ergo in omnibus Deo ita servit, ut pio patri pius filius, &  
in spiritu & veritate clamare potest: Abba, pater charissime ille SPI-  
ritu S, omni remota dubitatione donatus est.

Donatus jam SP Iricu SANcto omnem mouebit lapidem, ne tantum  
tancti datoris donum impietate, ieris peccatorum soribus, ac negligentia  
& contemptu verbi, intermissione precationum, contemptu Sacramento-  
rum amittat: sed ijs ipsis medijs quibus illud consecutus est, conservet.  
Pessimè igitur saluti & incolumenti sua consulunt, qui hoc tempore, salu-  
tari de SP Iricu S. doctrine discenda destinato, per ebrietatem & crapu-  
lam, tanquam omnium malorum matrem: omnis superbia patrem: omnis  
luxuria sororem: turbationem capit: subversionem sensus: tempestatem  
linguae: procellam corporis: naufragium castitatis: amissionem temporis:  
infa-

insaniam voluntariam : ignominiosum languorem : turpitudinem morū :  
dedecus vitæ : honestatis infamiam : animæ corruptelam & tandem ut  
ipsum diabolum blandum, SP Iritum S. ceu apes fumus, & malus odor  
columbas, propellunt, & reverso quasi pede reijcientes nullius momenti  
existimant.

Hac fuerunt, Magnifice Domine Prorestor, viri Reverendi, Clari-  
ssimi, Doctissimi, Humanissimi, adolescentes & studiosi Optimi, que  
hoc tempore & hoc loco, non ut debui, sed ut potui, dicere decrevi. De  
SP I R I T V S. quod uti tertia Divinitatis persona, ab aeterno proce-  
dens à patre & filio, in corda credentium mittatur, audiuitis. Quod ab  
aeterno, aeterni filii nomine, ut conjunctim ministris Ecclesiæ ad docendum,  
consolandum, argendum : seorsim unicuique ad sanctificandum adsit, no-  
bis condonetur, notastis. Quod ceu SP Iritus Consolationis, Precationis,  
Gratiæ, Promissionis, Intercessionis, & Veritatis SP Iritus, modo specie  
visibili hominibus ad peculiaria edenda miracula : modo invisibili, sed  
cum ceremonijs distinctis quibusdam personis ; & sine ceremonijs omnibus  
& singulis sine discrimine concedatur, animo benevolo asecuti estis. Quodq[ue]  
ex operibus nostris cognoscatur ; & tandem etiam verbo Dei, vita inno-  
centia, precatione, & crebro sacramentorum usu conservetur, perceplisti.  
DEVM patrem φιλοσοφον, ut Optimum Maximum, ita Sapientissi-  
mum quoq[ue] omnibus voxis in voco, ut longè saluberrimam hanc de SP I-  
R I T V S. doctrinam nobis incorruptam conservet, Cor mundum creet  
nobis, & SP Iritum rectum innovet in visceribus nostris. A facie non proiec-  
ciat nos, & SP Iritum S. suum à nobis non auferat : sed per eum, in nobis  
habitantem ad virtutem in fide : in virtute vero scientiam : in scientia  
vero temperantiam : in temperantia vero patientiam : rursus in patien-  
tia pietatem : in pietate autem fraternalam caritatem : in fraterna vero  
caritate dilectionem subministrandam vires suppeditet, atq[ue] ita  
(universæ vita Christianæ summam) fidem cum fructi-  
bus in nobis operetur, conservet

& tueatur.

D I X I.

— 6 —

2

... coram, Joachim.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn771906862/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771906862/phys_0015)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn771906862/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771906862/phys_0016)

**DFG**

angelio salutis vestrae : in quem etiam posteaquam cred  
 estis SPIRITU illo promissionis SANCTO, qui es arr  
 nostre. Talem re & facto se exhibuit Paulo, qui de a  
 Dei à SPIRITU SANCTO ita factus es certior, ut dic  
 sit Roman 8. Quis nos separabit à charitate Christi ?  
 num angustia ? num persecutio ? num fames, num nudit  
 lum, num gladii ? sicut scriptum es, causa tua occidin  
 habiti sumus velut oves, destinatae mactationi : Imò in  
 quam victores sumus per eum, qui dilexit nos. Nam mihi  
 quia neq; mors, neq; vita, neq; angelii, neq; principatus, i  
 nstantia, neq; futura, neq; sublimitas, neq; profunditas,  
 creatae poterit nos separare à charitate Dei, qua es in  
 mino nostro. SPIRITUS Intercessionis es, quando suble  
 hominum, ijs, quidorent, ignorantibus, & postulat ipse p  
 enarrabilibus. Tali insignitus es nomine Rom. 8. un  
 translata sunt. Talem re & facto se exhibuit Iosepho,  
 grinis vendito, qui quidem totos 13 annos precibus assidue  
 bat divinam, nec tamen voti compos siebat : Sed quo ardu  
 minus consequebatur, propterea quod ignoraret, quid pete  
 nem moram patetetur. Verum SPIRITUS DEI SAT  
 infirmitatem ejus postulabat pro eo, ut tempore oportuno  
 retur. Deus enim si citrus preces Iosephi exaudiisset, p  
 Iacob garvisus esset, Ille vero pastoris officio fungi, ut fund  
 esset ; interveniente autem mora & tempore oportuno app  
 ioni totius Ægypti præferebatur, & plurimum plur  
 Deniq; SPIRITUS Veritatis es, quando hominem in  
 veritatem. Tali insignitus es nomine Ioh. 15. cum v  
 quem ego mittam vobis à patre, SPIRITUS ille veritatis  
 me. Talem re & facto se exhibuit apostolis & discipulis  
 Pentecostes, varijs linguis magnalia Domini efferenti  
 Prophetis, Patriarchis, ipsi Lutheru, & alijs exhibuit  
 bet fidelibus verbi divini ministris.

Hucusq; audiatis auditores ornatissimi, quid sit, c  
 hanc




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 093